

_Lettera_N_0810

Al papa Pio IX

*Augustae Taurinorum, die 30 martii 1865

Beatissime Pater,

Annus jam elapsus est, quum Constitutiones Societatis a S. Francisco Salesio dictae, tibi, Beatissime Pater, submittebam, iudicium et approbationem Sanctae Romanae Ecclesiae efflagitabam. Uti pater magis voluntatem filii quam meritum perspiciens, die prima Julii anno 1864 amplissimis verbis hanc Societatem ad instar Sacrarum Congregationum, paterna bonitate, laudare et commendare dignabaris; dilata tamen ad opportunius tempus Constitutionum approbatione.

Attentis vero peculiaribus circumstantiis, speciali decreto ipse Orator, licet indignus, ejusdem societatis Superior Generalis ad vitam constituebatur, licet ejus successor duodecim tantum annis in suo munere permanere deberet.

Eidem decreto -dnectebantur tredecim animadversiones, quas attente legi, ad praxim traduxi, atque quoad fieri posse visum est in Constitutionibus accomodavi.

Nunc denuo, Beatissime Pater, ad te revertor humiliter deprecans ut tempus opportuoius pro nobis sit tempus praesens qua tu regis Ecclesiam Dei.

Hujus operis tu fuisti suasor et impulsar; ego vero quae potui feci; nunc perfice opus quod tu cepisti. Hoc tu reapse facies si hanc Societatem Apostolica approbatione confirmabis, atque consolidabis illis verbis, modis, correctionibus, quas tu, Beatissime Pater, ad Majorem Dei Gloriam atque ad animarum utilitatem melius in Domino judicaveris.

Plurima jam a te beneficia ego caeterique hujus Societatis Sodales accepi mus,

pluriesque animum addidisti; nunc ergo ut nos compotes voti facias rogamus. Uti que servi inutiles sumus, nullamque pro tanto beneficio compensationem dare

valemus. At gratos animi sensus ostendere satagemus quotidie ad Deum preces fundentes, ut te, Beatissime Pater, pro Ecclesiae utilitate diutissime sospitem servet, atque omnibus adversantibus malis superatis, ad Supremae felicitatis gaudium inter coelites valeas pervenire.

Dum autem ego caeterique sodales hujus societatis approbationem supplices expectamus, humiliter apostolicam benedictionem flexis genibus imploramus.

Ego vero caeteris felicior audeo me subscribere Beatitudini tuae

Amantissimus et deditissimus filius Bosco Joannes Sacerdos